

DISCUSSIONUM PERIPATETICARUM TOMI III LIBER I

Discordia Aristotelis cum quatuor veteribus theologis

- 5 Concordiam Aristotelis cum veteribus philosophis in omni philosophiae parte antecedentis Tomi libris 8 prosecuti sumus, uti nobis persuademus non negligentissime. Praesenti vero libris 7 aliis discordiam eiusdem cum iisdem eodem certe labore, utinam eodem etiam effectu, prosequi in animo est.
- 10 Quam enim discordiam ostensurum me sperem inter virum hunc ac praceptorum Platonem? Quos Porphyrius septem libris, quos Simplicius, Boethius, Picus, Vimercatus viri magni concordes esse omnino et asseverarunt et etiam perscripserunt aut in mente perscribere habuerunt? Quorum nullius tamen scripta ad posteros pervenerunt. Quibus si fortuna pepercisset vitaque ea donasset, aut eos concordes esse constaret aperte, aut labore hoc aut errore me liberassent. Sum enim in hac sententia hosce viros vel non potuisse promissis stare, vel Aristotelem aliud cogitasse, aliud scripsisse, aut me nunquam quicquam ulla in re intellexisse.
- 15 Quibus si fortuna pepercisset vitaque ea donasset, aut eos concordes esse constaret aperte, aut labore hoc aut errore me liberassent. Sum enim in hac sententia hosce viros vel non potuisse promissis stare, vel Aristotelem aliud cogitasse, aliud scripsisse, aut me nunquam quicquam ulla in re intellexisse.
- 20 Potuisse quidem illos et summa ingenii vi et summa doctrina, quibus excelluerunt, eandem hanc, quam nos hac ingenii exilitate ac ruditate, longe melius, uberius, clarior, ornatius concordiam praestare: sed nullam discordiam inter eos duos philosophos maximos fuisse, nulla in re Aristotelem a Platone dissentire voluisse, id vero eos praestare non potuisse arbitror. Quibus enim argumentis aut collationibus id effici posse credam, si videam Aristotelem non tam dogmata sua explicare, quam philosophorum veterum omnium dogmata profligare in proposito habuisse? Qui eos, a quibus dogmatum suorum omnium latrices hausisset, acerrimo quodam odio prosecutus esse videatur?
- 25 Quos plusquam CCL locis nominatim carpsit? Sine nomine vero plusquam mille? Antiquiores suique temporis philosophos atque